

et frequenter concordie zelatores pax et gaudium comitentur, tenore presentium profitemur, quod cum illustri principe consanguineo et amico nostro karissimo domino Lodwico comite Pal(atino) Rheni, duce Bawarie, super omnibus questionibus, que inter nos et antecessores nostros ex una parte et ipsum et progenitores suos ex altera actenus movebantur, dato alternatim pacis osculo, in hanc convenimus amicie unionem, quod questiones et causas, secundum quod in litteris exinde prius confectis plenius continetur, discretioni dilectorum amicorum et fidelium nostrorum Arnoldi de Rennenberch, Adam dapiferi nostri de Haer et Hermanni Marscalci de Halfter, pro parte vero ducis Chuonradi senioris Silvestris comitis avunculi nostri, Philippi de Hohenvels germani nostri et Hermanni de Hurnheim viri nobilis conmisimus amicabiliter decidendas tali interposita condicione, ut proxima dominica post nativitatem beate virginis Marie nunc venturam in Bacheraco se recipiant pro omnibus predictis determinandis salubriter et finaliter exequendis. Si vero iidem arbitri super dicta decisione non potuerint concordare, nos et dictus dominus dux pari voto mediatorem eligemus, qui recepta a nobis plena potestate ea, super quibus predicti arbitri concordare non potuerint, in animam suam plenarie discutiat et decadat. Porro, si nos et prefatus palatinus in mediatore non possumus concordare, dilectus germanus noster et fidelis Philippus de Hohenvels et Gerhardus de Lantschron sub debito iuramenti nobis dandi mediatorem habebunt plenariam potestatem, qui sine dolo et captione qualibet, corporali super hoc iuramento prestito, utrique nostrum distinguet et tribuet iura sua. Quicquid igitur super predictis omnibus tam nostrorum consulum quam predicti domini ducis reliquit diligentia indiscussum, prefati sex arbitri potestatem habebunt discutiendi et decidendi cum questionibus antedictis. Sinceri quippe amoris hec inter nos erit soliditas, ut quicquid memorati sex arbitri super confirmatione predictorum omnium statuerint vel exceptione personarum, contra quas mutuum non debeamus prestare consilium et iuvamen, specificaverint, ratum et firmum prout eorum discretio arbitrata fuerit teneamus. Demum si aliquis ex arbitris prenotatis in prefixo termino in Bacheracum venire non poterit, legitimo obstaculo perperditus, sine dolo substitutur alius loco sui. In cuius rei memoriam et roboris firmitatem presens scriptum sigilli nostri munimine dedimus roboratum. Actum et datum Bohpardie anno domini m^o. cc^o. lxii^o. vi. kalendas septembris.